

esse monasterium in S. Ser^{tis} provinciis, quod non valeat adhuc tot fratres de suis proventibus alere quam hodie alat, maxime si hominibus privarentur ac purgarentur, quam in eis nullo pacto sustineri deberent.⁶⁾ S. Ser^{tas} hactenus nihil tale commisit, nam licet aliquot praelati, nomine S. Ser^{tis} pro certis summis denariorum fide iusserint, coacti tamen ad id non fuerunt sed ultro ultronee S. Ser^{ti} in eo gratificaverunt absque omni eorum damno et detrimento.

(5) Quinto iustum et aequum est, ut ecclesiasticae personae suum forum habeant, maxime in mere personalibus, in realibus autem vel eis dependentibus in eo loco res permaneant, quo ante 20, 30, 40 et 50 annos fuerunt, maxime ubi civiles actiones contra ipsos instituuntur.

(6) Postremo orbi et urbi notum est ser^{mos} archiduces Austriae advocatos esse ipsius metropolitani archiepiscopatus Salzburgensis, item patriarchatus Aquileiensis et ecclesiarum Brixinensis et Tridentinae. Deinde plus quam certum est ac meridiana luce clarius demonstrari potest eos etiam omnium eorum beneficiorum in universum jus praesentandi et conferendi habere, quod a fundatoribus ipsis suis haeredibus non fuit praeservatum seu huic aut illi singulariter adscriptum. Itaque illi perperam faciunt, qui aliquando scientes ac prudentes contrarium praesumunt. Quod certe S. Ser^{tas} non faceret, si rebus suis inde magna accessio fieri posset, cum omnia jura divina et humana clament unicuique id quod suum est relinquendum esse.

Haec ita breviter ser^{mus} dominus archidux rev^{mo} nuncio apostolico super memoriale illud, quod ei Salzburgenses commissarii in hoc negotio exhibuerunt,⁷⁾ significari et simul tantum polliceri iussit, si rev^{mus} dominus arciepiscopus tali S. Ser^{tis} declaratione non contentabitur, quod tamen S. Ser^{tas}, ut credat, adduci non potest Ser^{tem} S. paratissimam esse in omnibus et per omnia tantum S. R^{mae} Dⁿⁱ in suis provinciis hac in parte concedere et statuere quantum illi a S. M^{te} Ces., item a ser^{mo} archiduce Ferdinando et ill^{mo} duce Bavariae, ad quos etiam archiepiscopatus diocoesis sese extendit, conceditur ac statuitur, quod cum justitiae ac aequitati consentaneum sit, S. Ser^{tas} plane persuasum habet, rev^{mum} dominum nuncium ipsumet confessurum a S. Ser^{te} aliud neque desiderari neque peti debere vel posse.

P. Wanzl m. p.

⁶⁾ *Vgl. Nr. 6, S. 20.*

⁷⁾ *Nr. 53.*